

ris; quod, ut dixi *supra*, num. 61. in fine, mihi placet, moveorque ultra præditum Authorem, ex dictione illa, *præsertim*, quæ in fine d.c. adjecta, dictorum antea vim auget, sed non diminuit, si non concurrat; nec vera est inductio Ludovici Molinæ de *justitia & jure, tractatu 2. dissertatione 37 §. columna 6. in versiculo, quamvis autem major*, folio 789. scilicet ex eo colligi, quod emptor ille asseverat dare ad usuram in d. cap. ad nostram, quod timeret de usurariorum pœna damnaretur; id enim non concludit: posset siquidem (& probabilis certe) sic timere & is, qui nunquam usurarius fuisset, & propter pœnam prædictam nollet mutuo dare, unde verisimile non est, quod si emptor fuisset solitus fœnerari, sic omitteret Romanus Pontifex, qui ita distinctè circumstantias omnes alias, & conjecturas adduxit, qui etiam de consuetudine fœnerandi contrahentium in specie d. c. illo vos, in fine, expressam mentionem fecit.

72 Quarto constituo, negari non posse, quin Romanus Pontifex in d. c. ad nostram, & in d. c. illo vos, contractus, de quibus ibi, habuerit usurarios ob conjecturas, & præsumptiones omnes, quæ in illis casibus concurrebant simul, sic ut in eis iuribus nulla conjectura, aut præsumptio enumeretur, in quo Romanus Pontifex se non fundaret; quia, ut dictum est, concurrebat ibi, ut contra Recentiores nonnullos latius ostendi *supra*, num. 56. & § 57. ubi Beroi sententiam magis probavi.

73 Cæterum, præfatum dubium, an modicitas pretii cum pacto de retrovendendo tantum, ad præsumptionem fœneris sufficere debeat; an vero & tertium requiratur, nequaquam à Pontifice ibid. decisum, nec explicatum;

74 tamen ex quo Romanus Pontifex in illis iuribus, non duobus tantum, sed pluribus simul concurrentibus conjectoris movebatur, validius resultare argumentum ut non de facili contractus judicari debeat fœneratitius, sed plures debeant concurrere conjecturæ ad præsumptionem fœneris, & ad minus tres prædictæ, quas secundæ opinionis Authores requirunt, aut aliæ similes, ut ibid. dixi, non vero quod præcisè requiratur ultra pactum de retrovendendo, modicitatem pretii & quod emptor solitus sit fœnerari aut aliud simile, quod etiam interveniat conjectura alia, ut tertie opinionis Authores requirebant, quos adduxi & improbi *supra*, num. 61. & etiam improbari possunt ex his quæ adnotant Decian. in consilio 2. num. 17. & § 18. & num. 28.

75 libro 1. Burfatus in consilio 153. num. 34. lib. 2. Cæval. decisione prima numero 70. part. 2. Deinde, quod nec etiam requiratur præcisè, ut tres prædictæ conjecturæ simul concurrant semper; nam & aliquando negotii, personarum, & contractus qualitas, aut circumstantia, & pretii modicitas talis, tantaque esse poterit, ut etiam ex pacto de retrovendendo (maximè si fuerit post certum tempus, quod magis suspectum est) grandique, aut enormi pretii læsione & modicitate, contractus debeat fœneratitius judicari, juxta concordiam relatam *supra*, num. 62. & sequent. quæ, ut vidisti, multorum autoritate falcitur: Nec illi repugnant Decretales prædictæ; nam etsi tot conjecturis simul moveatur ibi Romanus Pontifex, non abnegat potentiam judici, ut possit ipse duabus prædictis sic urgentibus conjecturis moveri, quibus tantum, & forsitan ipse Romanus Pontifex moveretur, si aliæ non fuissent, & ea, quæ dixi, intervenirent.

76 Idcirco, ut dicebam *supra* num. 66. nulla melior, aut securior tradi potest in hac materia doctrina, quam quod totum hoc in dictis Decretalibus non decisum, nec declaratum, arbitrio prudentis, & discreti judicis relinquatur, qui præ oculis habere debebit ea, quæ Covar. Menoc. & Azeved. ibi relato tradiderunt, ac diligenter veritatem investigare, ubi suspicio simulationis in fraudem usurarum esse possit, per text. in l. iudices, C. de iudiciis, cap. indicant. 30. quest. 5. & in nostris terminis scribit Decian. in consilio 2. numero 7. lib. I. Regulariter autem potius amplecti debebit opinionem secundam relatam *su-*

pra n. 50. & sequent. ob rationes ibidem adductas, quam primam, de qua superius egimus ex num. 42. cum sequenti rerum, aut personarum qualitates, & circumstantiæ, alii suadeant, ut scripti *supra* num. 76.

77 Quinto constituo, simulationem in fraudem usurarum ex conjecturis antea relatis deprehendi in dict. cap. ad nostram, de empt. & vendit. intelligendo tamen, ut quamvis ibi dictum fuerit, quod ab initio venditor petiit mutuo pecuniam quandam, non inde conjecturam posse validè deduci, ut scilicet ultra speciem ibidem relatum, vel in aliis casibus regulariter, mutui petiti præcedere debeat, ut contractus præsumatur fœneratitius, sic ut pactum de retrovendendo, modicitas pretii, & aliæ conjecturæ sufficere non debeant, nisi etiam & illa conjectura adsit, quod ab initio mutuum peteretur; poterit enim & simulatio fœnerandi, & fraus usurarum præsumi, atque contractus ipse fœneratitius judicari, etiam absque eo quod ab initio mutuum peteretur, postmodum verò alius contractus gereretur: quod est de mente omnium Authorum, quos in secunda opinione, & in tertia etiam retuli *supra* num. 50. & 61. qui ex aliis conjecturis, etiam absque illa, contractum damnandum existimant, & apertius probant relati *supra*, num. 27. Hoc autem, non extra propositum; nec otiosè, sed 81 ideo à me dictum, ut quorundam distinctionem, aut sententiam improbarem, hoc est Odofredi relati à Baldo, in l. emptione, C. plus valere quod agitur, & C. Romani singulari 368. quero an pactum, & in consil. 423. Vitalis Cambani in tractatu clausularum, pagina 274. num. 10. & Baldi in consil. 359. lib. 5. hi enim in præfata contrarietate, an duo, vel tria concurrere debeant, ut contractus præsumatur usurarius, sic distinguendum existimant: aut præcessit mutui petiti, hoc est venditor ab emptore petiit mutuo pecuniam antequam venderet; aut non præcessit: primo casu, ex pacto revendendi, & pretio exiguo, contractus illicitus reputatur; secundo casu non: sed quidem, ut vides, distinctio hæc sustineri non potest, cum etiam absque eo quod mutui petiti præcedat, judicari possit contractus usurarius ex aliis conjecturis, ut *supra* dixi: item aliquando fœneratitius præsumetur contractus ex pretii modicitate, & pacto de retrovendendo tantum: absque eo etiam quod aliud interveniat, ut etiam dixi *supra*. Nec præfata 82 sententia probatur in dict. c. ad nostram, ubi enarratur tantum mutui petitionem factam fuisse præcisè, ex eoque simulationis & usuræ fraus aliqua detegitur, non tamen statuitur inde petitionem mutui præcessisse necessarium fuisse, ut contractus judicaretur fœneratitius; imò etiam si ab initio mutuum petiit esse, Romano Pontificenarratum non fuisset, ex aliis, quæ proposita fuerunt, contractum ipsum damnaret, nec in eo, sed in aliis circumstantiis, & conjecturis concurrentibus, principaliter movebatur, ut *supra* vidimus.

78 Sexto constituo, silentio prætermittenda non esse 83 nonnulla, quæ in proposito hujus materiæ, novissimè, & multò quidem post hæc à me scripta observavit, sed nec unum verbum ex omnibus à me notatis *supra* adnotavit Andreas Fachineus controversiarum juris libro 2. cap. 12. in fine, versic. ego in hac re sic statuo, folio 154. columna 1. in princip. ubi postquam aliorum Scribentium sententias retulit, sic statuendum in superiori controversia existimavit, ut si tria concurrant, nempe pretii modicitas, pactum revendendi, & consuetudo fœnerandi, tunc contractus sit censendus fœneratitius, idque per text. in dict. cap. ad nostram, & in dict. cap. illo vos, qui id probant, ut explicat ipse Author ibidem, in 2. opinione, in versiculo, nec obstant Canon. 25: insert statim in hunc modum Quare, si magna sit læsio circa pretium rei venditæ, & pactum adsit revendendi, nihil aliud suspicari licet, quam contractum fuisse initum in fraudem usurarum ita scilicet, ut partes animum habuisse præsumantur mutuum contrahendi usque ad certum tempus; & fructus esse re venditæ usurarum loco percipiendi. Quæ illatio ut vides, fit à præfato Authore, retentâ ipsiusmet traditione, quod

quod tria illa concurrant, ut constat etiam ex dictis ab eodem ad finem: & ob id non omnino tuta judicatur à me; namque si magna sit, ut ipse dicit, aut tanta læsio circa pretium rei venditæ, & pactum revendendi adsit, etiam absque consuetudine fœnerandi, usurarius sæpè præsumi posset contractus, ut latius explicavi *supra*. Nec ita indistinctè, aut absolutè contrarium observare licet, juxta ea, quæ num. præcedentibus observavi. Placet tamè prædicti Authoris resolutio in eo sensu, quod tribus illis conjecturis concurrentibus, ita necessariò præsumi debeat animus fœnerandi, ut nihil aliud suspicari liceat, ut *supra* dicebam, quatenus ex illis tribus conjecturis, rem esse indubitatam statuebam. Dicit postmodum Author idem, quod si tria illa non concurrant, nempe pretii modicitas, pactum revendendi, & consuetudo fœnerandi, vix animadvertit, quo argumento contractus judicari possit fœneratitius, in quo, ut dixi, decipitur, nam licet ex his duobus non ita de facili fraus, aut simulatio sit præsumenda, tamen res non adeò adstringi debet, ut dici possit vix ex illis duobus fœneris fraudem deprehendi valere. Cum etiam aliquando ex eisdem tantum fœnerandi animus colligi possit, ut dicebam *supra* num. 76. & § 77. Quare idemmet Fachineus, postquam prædicta dixerat, in finalibus verbis d. c. 12. dicit, quod iudicis arbitrio libenter id committit, ita ut si cum pacto revendendi, & pretii modicitate, aliqua alia suspicio accedat, tunc ad judicandum contractum usurarium proclivior existat; & juxta hæc, ut vides, præfatus Author pro his citari debet, qui secundam opinionem amplectuntur; nunquam enim ipse duobus tantum, hoc est pacto de retrovendendo, & modicitate pretii contentus est, sed aliud etiam, hoc est consuetudinem fœnerandi, aut suspensionem aliam requirit.

48 Septimò & ultimò constituo, quod datio in solutum vim obtinet venditionis, at tamè difficilius in ea præsumitur exerceri fœnus, quam ubi pecunia ipsa numeratur, ut diversas sententias concordans, resolvit Menochius lib. 3. de præsumpt. 122. num. 42. & § 43. & veram resolutionem dicit Additionator Gamæ in addit. ad decis. 138. nec admittit ejusdem Gamæ, & aliorum Authorum sententiam indistinctè dicentium, quod datio in solutum non efficit contractum usurarium, licet modicitas pretii cum pacto de retrovendendo apponatur, in quo libentius sequor Additionatorem prædictum; & sic intelligo aliorum traditiones in proposito, quas adducunt Covar. varior. resol. lib. 3. c. 8. num. 5. Azeved. in l. 4. tit. 6. num. 27. lib. 8. nova collect. Regiæ. Joseph. Ludovicus de simulatione contractuum, conclus. 1. in versiculo. est verum quod Decian., ubi cum Romano, Parisio, Aretino, Socino, Rolan. & Cephalo, rectius dixit veriorum, & communiorum opinionem esse, quod etiam in datione in solutum possit argui contractus simulatus, Mascardus etiam de probationibus, tom. 3. conclusione 1142. n. 15. & tom. 1. conclusione 447. num. 16. & § 17. Antonius Galeatius Malvassia in consil. 106. num. 18. in fin. Alex. Raudensis de Analogis, libro primo, cap. 30. num. 181. Et hactenus de prædictis.

## CAPUT XXVI.

## De Mandato Alternativo.

Concessa facultate, aut commissione alicui, ut Majoratum in aliquem ex filiis, aut filiabus, quem voluerit, aut quem elegerit, faciat, sive instituat, an possit ipse filio masculo prætermisso, in filia femina Majoratum instituire, an vero filiis masculis existentibus, necessario debeat fœneris eos præferre, quamvis inter illos, quem voluerit, etiam filium natu minorem eligere valeat: ubi in casu concurrenti, & Authori commisso, consultatio Joan. del Castillo Quotid. Controv. Juris, Tom. II.

traditur ejusdem, qui vere primus omnium in proposito scripsit, & nullo alio causam defendente, primam sententiam pro se tulit, (alii postmodum scripserunt, sed non ita exactè, aut nihil quidem addentes) deinde alterative secunda pars, quando censetur apposta in defectum prioris, ut ordinis potius sit, quam electionis, quando etiam liberè accipienda non sit, sed limitativè tantum, aut simpliciter, ut diversos gradus constituat tam in fideicommissis, quam in Majoratibus, eleganter discutitur l. cum pater, §. a te pto, l. unum ex familia. §. si de Falcidia, ff. de legatis 2. l. hæredes mei, §. fin. ff. ad S. C. Treb. c. 1. de eo qui sibi, vel hæredibus suis, optimè expendantur & declarantur, & Ludovici Molinæ sententia, quod elector, cui libera facultas eligendi concessa est, possit ad Majoratum successionem, filiam etiam natu minorem omisso filio primogenito eligere, & quod vigore facultatis Regiæ idem possit, novitet improbat, & declaratur: de verbis etiam enuntiativis, an, & quibus casibus dispositionem inducant, multa dicuntur, & in effectu circa omnia prædicta, quamplurima maturius nunc adnotata traduntur, quæ utilia sunt, & in praxi valdè conducibilia, nec absque ingenti studio, & labore, sic recenseri potuissent.

## SUMMARIUM.

- 1 Testator, si fratre, aut alio consanguineo herede scripto, petierit ab eo, aut illi commiserit & mandaverit, ut ex bonis suis, vel aliqua parte eorum, instituat, sive faciat Majoratum in aliquem ex filiis, aut filiabus: an frater, vel consanguineus teneatur præcisè ordinem literæ, sive scripturæ servare, & consequenter filiis masculis existentibus eligere, aut nominare aliquem ex eis ad Majoratum, an vero filio masculo prætermisso, in filia femina Majoratum instituire valeat?
- 2 Et dubium consistit in hoc, quod eligendi facultas expressè, aut absolutè concessa non est in casu prædicto, quamvis verba prima facie inspecta, liberam eligendi facultatem denotare videantur: & sic omnino incertum est, an libere censetur data electio, an vero ordine scripturæ videantur filii, & filia ad successionem invitari.
- 3 In hoc autem dubio consultus olim Author, primus quidem omnium scripsit, & pro viribus laboravit, ut hoc num. refertur & ibidem casus in factu contingentis, & authori commendati species proponitur, atque ejusdem consultatio profertur, qua solus ipse causam defendens primam sententiam pro se tulit.
- 4 Voluntas & potestas in quocumque actu requiritur & que duo actum perficiunt.
- 5 Disjunctiva posita inter personas honoratas, resolvitur in conjunctam, & copulativam.
- 6 Id tamen non procedit, quoties disjunctiva, aut alternativa ponitur inter personas, inter quas cadit ordinata affectio; tunc enim non resolvitur in Conjunctam, nec censetur hereditas electio; sed denotat ordinem, & ultima pars censetur posita in defectum prioris.
- 7 Ex ordine scripturæ præsumptio resultans in Majoratibus quod maximi momenti sit, remissive.
- 8 In Majoratibus inter filios, & filias, & inter masculos, & feminas, ordinata datur institutoris affectio, quia



- quia per masculos familia, & agnatio illius conservatur, & non per feminas; utpote cum illarum successio, agnationis conservationi repugnet.
- 9 Femina familie sue, atque agnationis est caput & finis.
- 10 Majoratum instituentis nomen & memoria melius conservatur per masculum quam per feminam.
- 11 Masculi honorem, splendorem & dignitatem familiarum tumentur & conservant, injurias propulsant, atque illas vendicant.
- 12 Majoratus institutor si sit nobilis, fama & nomine clarus credendum est, quod desideraverit familie sue favere, eamque propagare, & conservare.
- 13 Masculinus sexus a testatoribus nostri temporis preferitur & magis honoratur, quam femininus.
- 14 Majoratum finis & natura genuina est, ut per eorum institutionem, agnationis & familie conservatio fiat in futurum.
- 15 In Majoratibus, fideicommissis & ultimis voluntatibus, sicut precedentia declarant sequentia; sic e converso dubia defuncti voluntas, que precessit, conjecturatur & declaratur ex subsequenti, que clara & aperta est.
- 16 Voluntas testatoris obscura, ex aliis in testamento expressis declaratur.
- 17 Voluntas ab initio qualis fuerit ex actu sequenti, aut verbis sequentibus declaratur.
- 18 Testator, qui in ordine succedendi ad Majoratum aut in vocatione speciali quam ipse fecit, prout filium masculum filius feminis, credendum est, quod etiam voluerit, ut is cui electionem commisit, etiam libere eundem ordinem servare teneatur, & masculos preferre debeat feminis, quas ipse in defectum masculorum vocavit.
- 19 Nulla enim est in jure certa magis regula, aut securior doctrina, ad testatoris defuncti voluntatem probandam, quam ea que sumitur ex ipsius expressa dispositione, qua rotam facit.
- 20 Tunc que interpretatio est, qua scriptis in testamento adhaeremus.
- 21 Affectio & dilectio major habetur ad eos, qui sunt nati & cogniti tempore factae dispositionis, quam ad eos, qui nec nati sunt nec cogniti.
- 22 Testator, qui in vocatione speciali quam ipse fecit, filiabus aut feminis jam natis, & cognitis filios aut masculos nascituros expressim prout, & sic non cognitos; credendum est quod semper illos preferre voluerit in aliis clausulis precedentibus, in quibus electionem alteri commisit.
- 23 Sic ut per unam clausulam censetur declarata alia, & consequenter, ut quem admodum testator ipse in sua vocatione non vocavit feminam, nisi in defectum masculi, nec aliter admitti feminam voluit, quam si masculus non existeret; pariter quoque, atque eodem modo voluerit, ut is cui electionem commisit, se haberet in electione, nec aliter successores eligeret.
- 24 Nam quod ipse virum facturus esset aut quod in defectu electionis heredis fieri expressit, idem ab herede suo faciendum esse jussisse intelligitur.
- 25 Nec est verisimile, quod heredi concefferit facultatem faciendi id, quod non fieri ipse expressit in alia clausula.
- 26 Unde eo ipso, quod aliter factum est ab eo, cui eligendi facultatem testator conceffit, nihil aliud fuit quam circumvenire voluntatem defuncti; quod indignum est.
- 27 Nec heres audiendus, qui nititur contra illam.
- 28 Eligendi facultate quantumcumque libere concessa, ac electionem dolo factam mandatum datum non presumitur.
- 29 Electio dolo facta nulla est.
- 30 Is, cui electio commissa est, utrum ex odio, aut inimicitia excludere possit eum, qui generaliter vocatus est; ubi conjunctur differentia inter odium & ini-

micitiam heredis.

- 31 Testator in casu Authori proposito, quod non dederit patri liberam, aut voluntariam eligendi facultatem sed potius subalternaverit personas ad quas ordinatam affectionem habebat, ut hoc numero latius probatur; & l. heredes mei, §. finali, ff. ad Trebel, nonnullis exornatur; & numero sep. & vide infra numero 46. & seq. & numero 54. & 55.
- 32 Eligendi facultatem habens de pluribus vocatis alternatim inter quos est ordo affectionis, non potest eligere de secundo nominatis nisi primis deficientibus.
- 33 In concessione facta pro filio, aut filia, existente filio, filia eligi non potest.
- 34 Verba illa, hijo, o hija, mayor, in dispositione, aut electionis concessione apposita, ordine successivo intelligenda & primo loco nominatum preferendum masculumque ante feminam admittendum, etiam si femina etate major sit, & natu major filius sit vocatus.
- 35 Ad faciendum Majoratum in unum ex filiis, vel filiabus quem quis elegerit, si alicui concedatur licentia per Regem, stante masculo, in femina Majoratus non potest fieri.
- 36 Etiam si in licentia adjiciatur, quod Majoratus fiat in filio aut filia, quem pater voluerit, quoniam talia verba debent intelligi secundum ordinem a jure prescriptum, idque ex sententia quorundam; contra vero ex sententia Molinae, de qua latius agitur infra ex numero 56. cum multis sequentibus, ubi vide omnino.
- 37 Testatoris dispositio recipit interpretationem a jure, & consuetudine atque rei, de qua agitur natura.
- 38 Testator aut Majoratus institutor, in dubio se referre videtur ad leges, statuta & consuetudines ejus loci aut regionis in qua testatur, aut Majoratum instituit.
- 39 Clausula primogenitorum in Hispania sunt interpretande juxta consuetudinem que est in Hispania in concessione primogenitorum, & sic ut masculus preferatur femina, & primogenitus ceteris fratribus secundo genitis.
- 40 Masculus in Majoratu, licet sit minor natu, de more Hispanie preferatur femina.
- 41 Et in successione Regni, lege quadam Partita sic extat expresse decisum.
- 42 Majoratus Hispanie ad exemplum & similitudinem successione Regni debent regulari.
- 43 Testator in dubio cum dispositione legis se conformare videtur.
- 44 Maxime, quando ex aliis scriptis, in testamento id constat aperte, ut in hoc casu constabat ex alia clausula; qua dicitur testator in casum, quo pater non eligeret successuros in Majoratu nominavit, & masculos preferendos feminis dixit.
- 45 Heres quotiescumque gravatur alternativè dare diversis personis, inter quas militat diversa ratio, licet inter eas non detur ordinata affectio, simplex disjunctiva, sive alternativa non resolvitur in conjunctam, nec tribuit heredi gravato electionem, quamvis verba ad eum referantur, sed ordine scriptura denotat factam fuisse substitutionem.
- 46 Refertur singularis sententia Glos. in proposito, in cap. Metrop. 63. distinctè; in verbo presbyteris, ubi Glos. allegat, text. in l. heredes mei, §. fin. ff. ad Trebel & illam Glosam citat Dominicus.
- 47 Qui eleganter explicat, quando secunda pars alternativè in defectum primae censetur apposita.
- 48 Qualitas personarum posita in secunda parte alternativè, quando est diversa à qualitate personarum posita in prima parte, tunc alternativa est ordinis, & non electionis.
- 49 In alternativa cum ponuntur duo, que ejusdem nature sunt, tunc utrumque est in obligatione: cum vero in secunda parte alternativè, aut in unaquaque parte illius apponuntur duo que diverse nature sunt; tunc utrumque

- utrumque in obligatione non est, sed alterum tantum, & alterum est in facultate solvendi.
- 50 In alternativa ex voluntate testatoris cessat electio, & ordo scripturae præcisè observari debet.
- 51 Respondetur objectioni cuidam, quod superflua videretur clausula illa testamenti, ubi dicitur, en uno de los hijos, o hijas, que del quedaren, qual el quisiere. Nisi electori licitum esset filiam ad successione Majoratus eligere, & numero seq.
- 52 Alternativa sui naturæ electionem concedit; ideo sufficit verificari quamcumque partem alternativæ, intelligendo tamen, ut hoc numero, & sequenti adnotatur, hoc est, modo alternativa sit propria, & vera; secus tamen si impropria, quia una fiat in defectum alterius sub alternativis verbis augmentativa; tunc enim servandus est præcisè ordo scripturae, non autem locus est liberæ electioni.
- 53 Quia ista est alternativa posita ad ampliandam dispositionem; ideo verè alternativè effectum non operatur.
- 54 Testator verba clausule superioris adiciens, en uno de los hijos, o hijas, que del quedaren qual el quisiere, cujus mentis fuisse, aut qualiter eligendi facultatem concessisse videtur, eleganter declaratur, & text. in l. heredes mei, §. finali, ff. ad Trebel. optimè, & verè enucleatus relinquatur.
- 55 Testator in casu prædicto per adjectionem verbi illius, qual el quisiere, naturam dispositionis non alteravit, nec etiam regulas juris, ut hoc numero demonstratur, & ibidem eleganter expenditur text. in d. l. heredes mei, §. finali, ff. ad Trebel.
- 56 Ludovici Molinae sententia contraria his, que dicta fuerunt supra, numero 35. 36. & sequent. refertur; ut scilicet elector, cui libera facultas eligendi concessa est, possit ad Majoratus successione, filiam etiam natu minorem, omisso filio primo genito eligere; & eidem pluribus modis respondetur, ut latè adnotatur hoc numero, ubi traduntur nonnulla, que longa Authoris consideratione digesta sunt, & scripta, nec alibi inveniuntur sic adnotata.
- 57 Ludovici Molinae sententia posita quod sustineri possit, (quod Authori durum videtur) deberet intelligi in terminis, in quibus ipse questionem proposuit, nempe quando eligendi facultas non fuit data alternativè, sed copulative inter filios, & filias, ut ipse loquitur, & sic conjungendo personas verbis, que propter unitatem sermonis quasi in unum corpus redactæ sunt.
- 58 Et verbum entre, latine inter, distribuit æqualiter facultatem eligendi eodem tempore inter filios & filias.
- 59 Et consequenter resultat effectus, qui à prefato Authore consideratur: in quem expendi potest text. in l. cum quisiam, ff. de legatis secundò, ut hoc numero adnotatur.
- 60 At in terminis casus Authori propositi, diversum est, quoniam electio non libere, sed alternativè data fuit en uno de sus hijos, o hijas, &c. quod in effectu fuit, corpora duo personarum facere.
- 61 Quia alternativa, o latine vel, disjungit verba, & sensum; sicut factus sit primo unus gradus filiorum, & in defectum ejus, augmentative, vel subsidiarie alius gradus filiarum, cap. i. de eo qui sibi vel heredibus suis.
- 62 Ubi, quia concessio fuit alternativa, hijos, o hijas, dum filii existerunt, succedere non poterunt, nec admitti femina.
- 63 Et quamvis ille text. loquatur in feudis, nihil interest, quia alterata res erat per pactum concedentis, qui feminas admisit: & sic illius textus vis consistit in forma pacti per alternativam, vel que tantum operatur, ut faciat, quod omnes filii videantur positi ex una parte, & latere, & femina ex alia parte.
- 64 Text. in l. anum ex familia, §. si de Falcidia, ff. de Joan. del Castillo Quotid. Controv. Juris, Tom. II.

- legatis secundò, nihil obesse Authoris resolutioni antea tradite, ut hoc numero adnotatur.
- 65 Elector, cui electio competit ex ultima voluntate, si extra ultimam voluntatem, hoc est in quacunque dispositione inter vivos elegerit, amplius variare non potest.
- 66 Ex pluribus electis, ubi non potest possidere nisi unus solus, primò nominatus preferatur alteri.
- 67 Electorem in casu Authori proposito inter vivos elegisse probatur.
- 68 Verba licet enuntiativa sint, probant nihilominus in casu Authori proposito electionem, nominationem, seu institutionem antea factam.
- 69 Verba enuntiativa ejus quod tempore enuntiationis, aut assertionis esse potest, plene probant.
- 70 Verba enuntiativa omnino probant, quando enuntiatio pertinet ad rem, que pendet ex declaratione animi enuntiantis.
- 71 Verba enunciativa, quando scienter proferuntur super eo, super quo partes sibi possunt præjudicare, sic probant, ut non admittatur probatio in contrarium.
- 72 Promuntari, atque affari aliquid, trifariam posse, dispositivè, assertivè, & enuntiativè.
- 73 Verba enuntiativa qua sunt?
- 74 Verba dispositiva qua dicuntur?
- 75 Verba assertiva qualiter proferantur.
- 76 Verba enuntiativa propter aliud emissa, regulariter dispositionem non inducunt, prout hoc numero, remissivè tamen, latissime explicatum traditur, & limitatum, & vide num. sequent.
- 77 Verba enuntiativa, quoties proferuntur per tempus præteritum, aut id, quod enuntiatum est præteriti temporis, dispositionem inducunt.
- 78 Maxime, si ipsemet qui refert, & enuntiat aliquam suam voluntatem de præterito, talis est, quod possit ipse adhuc ex integro illam facere, & sic disponere.
- 79 Verba enuntiativa dispositionem inducunt, quando proferuntur super his, que dependent à voluntate partium, & super quibus possunt libere disponere.
- 80 Verba enuntiativa dispositionem inducunt, quoties id quod enuntiatum, necessarium est ad id, de quo agitur.
- 81 Verba enuntiativa, quoties per modum causæ proferuntur, dispositionem inducunt, sicut si essent dispositiva.
- 82 Habens nominare ad emphyteusim aliquem, si per verba enuntiativa nominationis gravavit eum, eo ipso inducitur dispositio & nominatio.
- 83 Positus in conditione, an censetur electus, aut nominatus?
- 84 Ludovici Molinae traditio, de qua supra ex numero 65 posita quod vera non esset; adhuc tamen in casu Authori proposito defendi deberet, variationem licitam non esse electione semel facta, idque ex ratione, que hoc numero & sequenti assignatur.
- 85 Egens ex concessione, aut commissione testatoris, in eligendo sequi tenetur voluntatem tacitam; vel præsumptam testatoris ipsius, nec potest variare, aut à declaratione semel facta recedere, quando constat juxta confessionem, aut declarationem ipsiusmet eligentis (ex qua de voluntate testatoris constat) electionem fuisse factam.
- 86 Res quando subrogatur cum facultate regia in locum alterius, que erat etiam vinculata, cum omnibus qualitatibus, & conditionibus subrogata remanet, cum quibus erat prima.
- 87 Voluntas non minus deducitur seu colligitur ex factis, quam ex verbis, imò potentius demonstratur, & probatur factis, quam verbis: quia facta effectum ostendunt, verba aliquando contra voluntatem proferentis sunt.
- 88 Testator, quando committit lateri, ut pro eo Majoratum, vel meliorationem faciat in aliquem filium, an sufficiat, quod commissarius coram testibus dicat, se velle eligere ad Majoratum talem filium.
- 90 Electio, seu nominatio ad Majoratum, an facta cen-